

[p. 80] Theodorici de Monasterio panegyricus
die 4 Iulii anno MCCCCXV in Concilio Constantiensi dictus

[p. 81] Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, Ioann. VIII. Verba sunt illius, qui est lux vera, illuminans omnem hominem, Io. I. qui est lumen de lumine, quia splendor paternae gloriae et figura substantiae eius, Hebr. I. qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, I. Timoth. VI. Qui est candor lucis aeternae et speculum sine macula, Sapient. VII. Verba dico Domini nostri Iesu Christi, qui est principalis sponsus virginis et matris ecclesiae, quam hoc sacrum generale concilium repraesentat. Quam virginem dico: quia tota ecclesia ex omnibus vere fidebus constans, est una virgo, per infidelitatem incorrupta, quoniam virginitas incorrupta est, virginitas cordis, prout haec patent I. Corinth. XI. In glossa super isto verbo Apostoli: despondi enim uos uni viro virginem castam exhibere [p. 82] Christo. Quam etiam ecclesiam recte matrem dico: quia sponsus eius Christus per Spiritum Sanctum multiplici prole foecundat, quam prolem per eiusdem spiritus charismatum dona educat.

Quibus quidem verbis in principio assumtis licet indignus uti intendo ad laudem et gloriam praeclarae divinae maiestatis ecclesiae sanctae Dei ac huius sacri concilii, eam repraesentantis, nec non ad recommendationem omnium illorum, qui hoc sacrum concilium secuti sunt, sequuntur et sequentur: praecipue ad honorem duorum virorum gloriosorum, infra nominandorum hic praesentium, qui in sua obedientia pro reintegratione ecclesiae fidelissime et efficacissime laborasse dignoscuntur. Ad quae perficiunda peto, quod detur mihi ab alto intellectus et ratio loquendi, facultas, gratia atque misericordia. Pro quibus impetrandis recurrendum erit ad illam foecundissimam et intemeratam virginem et matrem Iesu, Mariam, adiutricem fidelissimam, quatenus pro consolatione ecclesiae Dei et pro hac flectere dignetur deuotissima genua sui humillimi cordis ante thronum divinae maiestatis. Quod ut eo amplius mereamur, decantandum erit sibi illud epithalamium archangelicum, quod in thalamo eiusdem virginis decantatum fuit: Quando etenim Patris verbum in eiusdem virginis [p. 83] utero nostram sibi desponsavit naturam, ubi decantatum fuit hoc epithalamium: Ave gratia plena, Dominus tecum. Dicamus igitur et nos humili mente devota atque serena: Ave gratia plena.

Qui sequitur me, et ut supra. Quae verba licet sint saluatoris nostri Iesu Christi, ut patet ex praedictis; eisdem tamen uti intendo, ut sint verba huius sacri concilii, loquentis et dicentis: qui sequitur, non ambulat in tenebris.

Qui quidem dictorum verborum usus videtur non incongruus pro eo, quod Christus ecclesiae sponsus et ecclesia sponsa, sunt coniunctissime et quasi inseparabiliter uniti, tamquam duo in carne una, imo sunt sicut una quaedam persona, cuius Christus caput est et ecclesia corpus, Coloss. I. Et extensius Ephes. II. in textu et glossa supra illo verbo Apostoli: sacramentum hoc magnum est, dico in Christo et in ecclesia. Propter quam intimam coniunctionem et indissolubilem unionem Christi et ecclesiae, saepe in scripturis sacris Christus loquitur de sponsa sua, de ecclesia, de corpore suo et de membris suis, tamquam de se ipso. Sicut patet ex dictis Augustini super illo psalmo: Deus Deus meus, respice in me; et quorumdam aliorum psalmorum expositione.

[p. 84] Ex quo sequitur, quod praedicta verba accipienda, dicta in persona huius sacri concilii, ecclesiam sic Christo coniunctam repraesentantis. Quod autem verba

praemissa possit sacrum concilium vere et secure dicere de se ipso, ex confidentia, quam habet in capite suo, quatuor considerationibus persuadebo. Non ad docendum, quia non oportet docere hic cum omnibus suis filiabus praesentem, sed solum ad humiliter persuadendum et exhortandum.

Prima consideratio est: qui sequitur hoc sacrum concilium, sequitur universalem ecclesiam militantem, quam hoc sacrum concilium repraesentat et virtualiter continet. Sed qui illam sequitur, Christum sequitur, ut patet ex supra dictis de indissolubili connexione Christi et ecclesiae. Et Apocal. XIV. sic scribitur: hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt et sequuntur agnum, quocumque ierint. Tota ecclesia, ut dictum est supra, est una; ergo non est coinquinata cum mulieribus, id est, erroribus. Qui errores per mulieres designantur, eo quod per mulieres error intrauit in genus humanum. Ergo tota ecclesia sequitur agnum, quocumque ierit, et sic qui ipsam sequitur, Christum sequitur, qui in lumine indeficiens et per consequens non ambulat in tenebris. Hoc de prima consideratione.

[p. 85] Secunda consideratio: Christus est in medio huius concilii. Ergo, qui hoc concilium sequitur, non ambulat in tenebris. Unde scribitur Matth. XVIII. et sunt verba Christi; ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. In hoc sacro concilio sunt congregati nedum duo vel tres; sed maxima multitudo in nomine Christi. Quia ad eius honorem, ad eius laudem, ad eius gloriam, ad magnificentiam nominis sui et ut de regno eius, quod est ecclesia, tollantur abusiones, scandala. Ergo Christus est in medio concilii. Et recte in medio, ut orbiculariter diffundat lumen, lumen suae sapientiae et radios suae gratiae ad omnes, prout cuique opus fuerit. Et sic, qui hoc concilium sequitur, Christum sequitur et per consequens non ambulat in tenebris. Hoc de secunda consideratione.

Tertia consideratio in hoc concilio est Spiritus Sanctus, ipsum regens et gubernans. Ergo, qui hoc concilium sequitur, non ambulat in tenebris. Unde, ut habetur Ioann. XIV. Christus relicturus corporaliter suos discipulos, dicebat eis: rogabo patrem et alium paraclitum, id est, aduocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. Et infra eodem capitulo: apud vos manebit et in vobis erit. Et quibus et aliis passibus scripturae sequitur, [p. 86] quod Spiritus Sanctus est in ecclesia, et manebit in ea semper. Et si in ecclesia, cur non in sacro concilio, quod ipsam ecclesiam militantem virtualiter continet? Attentis duobus, quorum primum est, Spiritus Sanctus, cuius dona data sunt ipsi ecclesiae a sponso suo, quasi in dotem et quasi in pignus propter ipsius ecclesiae necessitatem, utilitatem et profectum salutarem. Attendo secundo, quod generale concilium est ultimum refugium ipsius ecclesiae militantis in magnis utilitatibus et profectibus promouendis. Ergo Spiritus Sanctus et eius dona in generali concilio non deficient. Unde Io. XVI. scribitur et sunt verba Christi: cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, scilicet ad salutem necessariam. Sed ubi, quaeso, iste doctor veritatis est magis necessarius, quam in concilio generali, ubi errores et haereses sunt extirpandi et catholicae veritates elucidandae. Item scribitur ibidem de Spiritu Sancto, quod, dum venerit, arguet mundum de peccato, de iustia et de iudicio: de peccato, quod habet, de iustia, quam non imitatur et de iudicio scilicet divino, quod non timet. Ubi, quaeso est talis iudex sic arguens, sic corripiens, magis necessarius, quam in concilio generali, ubi omnes abusiones, omnia scandala sunt ab omni statu, prout possibile fuerit, amouenda? Item Esa. XI. [p. 87] numerantur septem dona Spiritus Sancti, sapientia et intellectus etc. Similiter I. Cor. XII. enumerantur multa dona eiusdem

spiritus. Nec videtur, ubi talia dona et data dunt magis necessaria, quam in concilio generali. Nec tamen oportet, quod omnia omnibus conferantur. Sed Spiritus Sanctus dividit singulis, prout vult, ut patet Corinth. ubi supra. Et saepe contingit, quod uni soli datur aliquod tale donum ad utilitatem omnium. Sicut patet in dono prophetiae etiam tempore accusationis Susannae dabatur in illa magna multitudine soli Danieli gratia discretionis spirituum, ut sciret discernere inter vera loquentem et spiritum mendacii, quo utebatur in conuincendo illos senes de falso testimonio. Et tantum de tertia consideratione.

Quarta consideratio: hoc sacrum concilium magno conatu tenebras fugat et expellit et lucem reuocat. Ergo, qui ipsum sequitur, non ambulat in tenebris.

Unde adspicio tria genera tenebrarum, totam terram operientium, quae hoc sacrum concilium curauit, curat et curabit expellere quae sunt schisma inueteratum, multiplicatio errorum et intolerabilis corruptio morum. Quod haec tria sint genera tenebrarum, ex hoc liquet: quia sunt lucis privatio et luminis exclusio.

[p. 88] Quod autem hoc inueteratum schisma sit lucis privatio est hoc patet, quod Christus dicebat discipulis suis et eorum successoribus: vos estis lux mundi, quod Matth. V. et adiunxit, dicens: sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est. Volens, quod ipsi debeant esse sicut lux quaedam exemplaris, grata et iucunda oculis inspicientium, quatenus alliciant inspicientes ad sui sequelam et imitationem. Quae lux exemplaris in successoribus discipulorum Christi, in omnibus praelatis, summis, mediis, infimis, in doctoribus et ductoribus gregis dominici, valde est eclipsata propter hoc diuturnum schisma. Videns enim fidelis populus inter praelatos ecclesiae et sapientes et sacerdotes esse contentionem tam diuturnam, tam pertinacem, cum iudiciis avaritiae et superbiae, non poterat in ipsis tamquam in luce delectari; sed magis oportuit ipsum velut in tenebris angustiari, nesciens, per quam obedientiam ire posset ad beatitudinis terminum, una partium dicente: hic est Christus, alia vero dicente: non ibi; sed hic: qualibet partium quamlibet diffamante et quasi in statu damnationis collocante. Flebilis et semper deflenda docet experientia, quoniam per ista viluit auctoritas apostolicae sedis: et secundum inferiora, quantum [p. 89] perierit harum sedium libertas, honor et timor filialis: quinimo sacramenta et alia charismatum dona reputata sunt minus pretiosa. Scilicet, quia est Deus omnium Dominus, pius et misericors, qui non finiret mala fieri, nisi sciret ex ipsis eligere bonum. Ista sic fieri permisit, ut vexatio daret intellectum praelatis ecclesiae et adoliscerent se magis humiliare in conspectu Dei sui et corruptos mores in melius reformare. Sicut de illo magno Nabuchodonisor rege superbissimo factum legitur. Qui, a regno suo eiectus, cum bestiis et feris terrae habitauit, donec septem tempora mutarentur super eum. Et post hoc sensus eius redditus est sibi et cognouit viuentem in secula seculorum. Et quod potestas eius potestas aeterna et omnes habitatores terrae coram ipso in nihilum reputati sint et quod grandientes in superbia possit humiliare. Prout haec plenius habentur in Daniel.

Quod etiam multiplicatio haeresium et errorum et ista intolerabilis corruptio morum sint quaedam genera tenebrarum, liquide colligitur ex scripturis, in quibus veritas, sapientia, iustitia et aliae virtutes insignes, comparantur soli aliisque planetis, lunae atque lumini. Ignorantia vero, error, stultitia et iniquitas comparantur tenebris et obscuritatibus. Unde Sapientiae VII. dicitur de sapientia, quod [p. 90] est speciosior sole et super omnem pulchretudinem stellarum. Luci comparata invenitur prior et quod inextinguibile

est lumen illius. Et de verbo Domini, in quo est veritas et sapientia, scribitur Psalm. CXVIII. lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis. Et ibidem: declaratio sermonum tuorum illuminat. Et Proverb. III. iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem. Via impiorum tenebrosa et nesciunt, ubi corruunt. Et Apostolus Rom XIII. mala opera dissuadens et bona invitans inquit: abiiciamus ergo opera tenebrarum et induamus arma lucis, ut sicut in die honeste ambulemus. Et Daniel XII. qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Et Sapient, V. scribitur de persecutoribus iustorum, quomodo suo tempore erunt gementes et prae angustia spiritus dicentes: errauimus a via veritatis et iustitia non luxit nobis et sol intelligentiae non est ortus nobis.

Et sic ostensum est, quod tria supra dicta, scilicet schisma pestiferum, multiplicatio errorum et corruptio morum, sint quaedam genera tenebrarum.

Sed quod hoc sacrum concilium haec tria genera tenebrarum, divino suffultum auxilio, [p. 91] curet intendat et proponat fugare, expellere et illuminare, patet per ista, quae hoc sacrum concilium ad hunc usque diem fecit, facit et facere proponit, divina gratia principaliter operante et Christianissimo et inuictissimo rege, modo hic praesente, cooperante. Qui velut Sanctissimum Spiritus sancti organum pretiosissimum corporis mystici membrum cooperatus est huic sacro concilio in omni bono fidelissime, infatigabiliter et cum incredibili humilitate et divina fauente clementia cooperatur usque in finem.

Et est huius sacri concilii nec non inuictissime regis intentio, non desistere abinceps, donec ecclesia sit et a dictis erroribus purgata et a corruptis moribus depurata, quantum possibile fuerit. Quia non tota zizania eradicari potest, nisi simul eradicetur et triticum iuxta parabolam de Zizania, Matth. XIII.

Et reverendissime patres, si vestrae circumpectiones plenae oculis ante et retro velint schisma tollere, errores excludere et ne videantur viam praecludere, necesse erit, quod mores ecclesiae valde collapsi et multum corrupti refoermentur.

Nam stantibus in statu ecclesiastico et permanentibus, superbia, avaritia et vita voluptuosa, vix impediri potest, quod non oriatur nouum schisma et quod non surgant contra [p. 92] statum ecclesiasticum latrantes, calumniantes et laicum populum contra clerum concitantes. Quoniam permanente causa, difficile poterit impediri effectus. Et tantum de consideratione quarta.

Ex quibus quatuor considerationibus colligitur, quod hoc sacrum concilium vere et secure dicere poterit de se ipso: qui sequitur me non ambulat in tenebris, quae fuerunt verba in exordia huius collationis assumpta.

Ex quibus verbis sic simpliciter introductis universus orbis, omnis status, omnis aetas, omnis sexus et praesertim fidelis populus invitatur ad huius sacri concilii sequelam et imitationem, ut omnes una secum intendant in id ipsum, ut pax ecclesiae reddatur et deperditus decor restituantur. Cuius inuitationis, cuius exhortationis vox seu clamor exiuit in omnem terram et de omnibus finibus terrae attraxit et adduxit ad hoc sacrum concilium, illos praesertim, quorum corda Deus tetigerat, ut zelatores existerent pacis unionis et reformationis ecclesiae. Illi nempe hanc vocem libenter audierunt et libentissime secuti sunt, quatenus tanti boni cooperatores esse mererentur et tanti meriti participes.

Et licet omnes isti, cuiuscumque status existant aut conditionis, magna laude, magna reverentia et honore digni sint pro fidelitate, [p. 93] humanitate atque benignitate exhibitis ecclesiae matri suae. Mihi tamen incumbit de praesenti duos viros gloriosos, pro iucundo eorum ad hoc concilium adventu pro posse collaudare, pro eo, quod in sua obedientia pro reintegratione ecclesiae Dei fidelissime et effectualiter et conclusiue laborasse dignoscuntur.

Quorum primus est illustrissimus princeps Ludovicus comes Palatinus Rheni, S. R. I. archidapifer et elector, duxque Bavariae hic praesens.

Secundus est magnificus, nobilis, potens, strenuus et praeclarus Carolus de Malatestis, ecclesia vicarius, pene in omni scientia peritissimus.

De primo istorum, scilicet domino duce possum dicere illud Ecclesiastic. XLV. dilectus Deo et hominibus cuius memoria in benedictione est. Et vere in benedictione: quia non accusat eum homo, ibidem c. XLVI. cuius virtutes innatas, adquisitas, infusas, omnes narrare non sufficerem, nec tempus admitteret. De paucis igitur earum pauca dicam, de illis, quas praesertim legi ex insigniis suorum armorum.

Unde idem princeps illustrissimus in quantum comes Palatinus Rheni defert pro insigniis armorum, figuram leonis aurie, in campo nigro, cum corona rubea et cum unguibus rubeis. [p. 94] In leone designatur animi sui robur et vera fortitudo, non ficta et similitudinaria; sed fortitudo circa bonam mortem impauida et magis mori volens; quae turpia committere, cum aliis nobilibus conditionibus verae fortitudinis, quas commemorat Aristoteles III. ethicor.

In auro designatur huius principis clara iustitia. Quoniam sicut aurum omnia alia metalla nobilitate transcendit, ita iustitia est praeclarissima virtutum, cum nec Lucifer, nec Hesperus ita admirabilis, secundum Aristotelem V. ethicor. Quod potissimum verum est de iustitia legali, quae est sicut omnis virtus, ut patet ibidem.

In corona rubea designatur huius principis charitas, quae charitas recta designatur per coronam. Quoniam sicut corona ponitur in vertice capitis, ita charitas est omnium virtutum suprema, finis et consummatio. Quoniam omnis iustae legis, sive naturalis; sive divinae; sive positivae, praecepta ad ipsam charitatem tamquam in finem ordinantur. Quicquid enim in istis legibus praecipitur, quod homines habeat ordinatam charitatem ad Deum et proximum, iuxta illud Apostoli I. Timoth. I. finis praecepti charitas de puro corde, conscientia bona et fide non ficta. Quae charitas est etiam recte per rubedinem huius coronae [p. 95] designata. Rubedo namque color igneus est, praesertim ignis flammae. Charitas autem est sicut flamma spiritualis animam spiritualiter inflammans. Et supremi coelestes spiritus, sancti seraphici, dum pinguntur, sub colore rubeo vel flammeo depinguntur. Et hoc propter ardorem charitatis, quo homines alios spiritus antecedunt, quibus etiam B. Dionysius, esse ignitum acutum attribuere dignoscitur coelestis hierarchiae c. III. etiam de eadem materia loquitur c. 15.

Per unguulas rubeas designatur, quod huius praeclari principis charitas non solum in mente subsistit; sed etiam a dextra se ostendit in opere. Ut signum dilectionis exhibitio sit operis. Unde Leo operatur suis unguibus id, quod operatur. Ergo per unguulas operatio et per rubedinem unguularum charitas. Et sic per unguulas rubeas opera charitatis designantur.

Per campum nigrum, in quo stat iste leo, designatur huius principis humilitas. Nigredo enim inter alios colores plus habet de obscuro et per consequens de abscondito. Et sic designat humilitatem, qua princeps iste opera sua virtutum, prout possibile fuerit,

tenet in abscondito et humilitate, etsi opus sit in aperto, intentio tamen est in occulto et quod magis Dei gloriam; quam hominum quaerere dignoscitur.

[p. 95] Idem princeps in quantum dux Bavariae, defert in armis suis multas figuras angulares, aliquas albas, aliquas lasureas. In albis vitae puritas, in lasureis figuris, quae sunt coloris coelestis, designantur virtutes eius eminentes, quae heroicae seu divinae nuncupantur.

Propter quas virtutes licenter dico, quod anima huius principis conglutinata est eum anima Christianissimi regis nostri hic praesentis. Simile namque applaudit suo simili. Sicut olim anima Ionathae conglutinata fuerit cum anima David, ut habetur I. Reg. XVIII. quoniam si recte attendimus, Christianissimus rex noster est secundus David et iste illustrissimus princeps secundus Ionathas.

Primum patet, quia David habuit in se multas nobiles conditiones, in quibus iste rex noster ipsum clare imitatur. David enim sicut fuit magnanimus, bellicosus, semper bella gerens contra idoloatras et infideles, sic et rex noster. Item David multum ampliavit divinum cultum. Ita et omnis labor regis nostri in hoc sacro concilio ad divini cultus tendit augmnetum. Item David fuit humilimus. Ita et rex noster cum incredibili humilitate, quasi seruus seruorum, huius sacri concilii negotia sollicitare non cessat. Item David erat vultu desiderabilis et David interpretatur manu fortis, vel vultu desiderabilis, **[p. 97]** quod utique Christianissimo regi nostro competere dignocitur. De quo vere dicere possum illud, quod de beato Stephano scribitur Actor. VI. de quo sic scribitur, quod intuentes in eum videbant faciem eius tamquam faciem angeli, quoniam propter magnum zelum ad salutem ecclesiae, quem hoc sacrum concilium in hoc Christianissimo rege conspexit, vidit faciem angeli sibi ad custodiam deputati. Et sic patet, quomodo rex noster recte secundus David appellatur.

Sed quod illustrissimus dux praedictus sit sicut secundus Ionathas, per hoc patet, quod Ionathas interpretatur columba veniens. Columba est avis multum amatiua et simplex. Et iste princeps venit ad hoc sacrum concilium ex amore magno, quem gessit ad ecclesiae integritatem, unionem et pacem. Et venit non in duplicitate, aliud habens in corde; aliud habens in cordi; aliud in ore vel opere; sed illum amorem feruidum ad ecclesiam, quem in corde gessit, et in opere exhibuit. Et tantum de primo.

Venio ad secundum, videlicet magnificum, potentem, nobilem, strenuum virum et praeclarum Carolum de Malatestis ecclesiae vicarium, in omni facultate peritissimum, de quo dicere possum illud Ecclesiastic. XV. in medio ecclesiae aperuit os eius et implebit eum Dominus **[p. 98]** spiritu sapientiae et intellectus, et stola gloriae vestiet eum.

Quoniam statim Dominus aperiet os eius in medio huius sacri concilii ecclesiam repraesentantis et loquetur verba sapientiae pacis et concordiae sibi in praesenti et in futuro. Cuius viri praeclari et virtutum inclyta fama et longe lateque diffusa.

Et quia de omnibus eius virtutibus disserere non sufficerem, de tribus tantum, quia tempus me deserit, pauca dicam, quorum prima est magnus zelus charitatis, quem ad ecclesiam Dei gestavit. Secunda est sapientia, qua pro salute ecclesiae laboravit. Tertia est perseuerantia, qua laborem inchoatum constanter continuavit.

Quorum primum in suo nomine proprie et reliqua duo in duobus verbis sui cognominis recte implicantur. Ipse namque a primo istorum videlicet a magno zelo charitatis, est recte Carolus nuncupatus. Conditio charitatis est non quaerere, quae sunt sua singulariter: sed ambulare in latitudine, et quaerere, quae Dei sunt ad salutem plurimorum generaliter, ut elicitor ex dictis Apostoli I. Corinth. XIII. quae conditio in

hoc magnifico viro clare apparuit, dum propriam utilitatem, personale commodum, relinquendo viam longam et difficilem atque periculosam sibi cum magis fatigiis [p. 99] in expensis arripuit, ut in hoc loco cum Christianissimo rege nostro et praelatis huius sacri concilii aliquam conclusionem pro reintegratione ecclesiae congruentem potset concludere cum effectu.

Secundum promissorum, scilicet magnifici viri magna sapientia, multiplicatur in primo verbo sui cognominis, scilicet Mala. Unde mala sunt poma pulchra, rotunda et odorifera. Per quae poma recte designatur sapientia, quae est pulchra et speciosior sole et luci comparata. Inuenitur prior Sapient. VII.

Et rotunda, quia sicut figura rotunda est omnium figurarum sibi isopermetrarum capacissima, ita sapientia inter omnes habitus intellectuales est capacissima. Dicit enim Aristoteles primo mechinicae, quod sapientis est omnia scire, prout contingit et Sapient. VIII. multa scribuntur de capacitate sapientiae. Et inter cetera scribitur ibi: scit versutias sermonum, dissolutionem argumentorum: signa et monstra scit, antequam fiant et eventus temporum et seculorum.

Est etiam sapientia odorifera, quia famam possidentis inclytam fait et bene redolentem. Est enim de numero bonorum honorabilium, quae secundum cultum sua in nos tradunt et sua dignitate nos alliciunt. Unde inquit Sapiens, ubi supra: habebō propter hanc charitatem [p. 100] ad turbas, honorem apud seniores. Quae sapientia videtur in facie huius viri magnifici et auditur ex ore eius. Quoad primum scribitur Proverb. VIII. sapientia hominis lucet in vultu eius. Quoad secundum scribitur ibidem XV. in labiis sapientis invenitur sapientia.

Ea propter, o vir magnifice et praeclare, tibi et de te dicere possum illud Cantic. VII. odor oris tui, sicut odor malorum Punicorum et guttur tuum, sicut vinum optimum. Verba namque, quae profluunt de ore tuo, sunt velut bonus odor omnibus gratissimus et guttur tuum illa verba eructans, sicut vinum optimum laetificans corda et mentes hominum. Pro concordantia accedat illud Proverb. XXV. mala aurea in lectis argenteis, sic qui profert verbum in tempore suo. Lectus argenteus multum decoratur per mala seu poma aurea circumposita, sic verbum prolatum multum adornatur, si in opportuno tempore proferatur. Quemadmodum sermo opportunus est Proverb. XV.

Ad propositum tu vir magnifice et praeclare, protulisti et efficacius proferes verbum bonum et suaue, verbum pacis et concordiae, verbum unionis et amicitiae in hoc tempore maxime opportuno. Ergo verba tua sicut mala aurea in lectis argenteis. Ad hoc scribitur Cant. VIII. sub arbore mali suscitavi te, et sunt verba [p. 101] sponsi ad sponsam Christi. Sponsa sancta mater ecclesia iam per multa annorum curricula dormiuit in puluere schismatica divisionis, quam sponsus eius pietate motus suscitare incepit sub arbore mali, dum te virum magnificum et praeclarum, mala sapientiae germinantem, ad hoc sacrum concilium destinavit, ad tollendam schismaticam divisionem inter obedientiam tuam atque nostram.

Venio nunc ad tertium praemissorum, videlicet huius magnifici viri perseuerantiam, qua laborem inchoatum fideliter continuavit. Constat enim de hoc viro magnifico, quod ipsum a sancto suo proposito retrahere non poterant nec viarum pericula, nec salui conductus desicientia; nec labia iniqua; seu scripta fallacia quando pacis negotium, quod adsumserat, praedictis omnibus non obstantibus, Deum et commune bonum prae oculis habens, apud se concluderet consummandum.

Quae quidem perseuerantia in ultimo verbo sui cognominis, videlicet testa implicatur. Testa namque de terra fit, quae terra est inter omnia elementa magis firma, magis solida, minus mobilis, semper manens in medio, ut idem sit centrum suae quantitatis et centrum mundi. Item testa fit ex terra argillosa, per calorem ignis decocta, quae decoctio ipsam indurat. Sic firmissima perseuerantia viri boni [p. 102] in sancto proposito fit per longam decoctionem cordis suis in igne charitatis. Illa namque decoctio facit ipsum constantem et perseuerantem in bono. Et potest elici ex dictis Apostoli Roman. VIII. ubi loquens de permanentia charitatis sic concludit: certus namque sum, quia neque principatus; neque virtutes; neque instantia; neque futura; fortitudo; neque altitudo; neque profundum; neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Iesu Christo, Domino nostro.

Finem imponendo gaudere debemus gaudio magno et in cordis iubilo applaudere, coniunctioni istrarum duarum obedientiarum. Erit enim per aspirationem divinae gratiae propinqua dispositio ad perfectam integrationem ecclesiae feliciter consequendam.

Gaudeamus igitur et exultemus et demus gloriam Deo, Apocal. XIX. Sed cur Deo; iDeo, quia ipse dixit et facta sunt et sine ipso nihil factum est Io. I. Gaudete igitur in Domino, semper, iterum dico, gaudete. Sed quomodo? sic gaudete, sine intermissione orate. Haec enim est voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis I. Thestal. V.

[p. 103] Orate dico, quatenus redintegratio et reformatio domus Dei, id est, ecclesiae iam feliciter inchoata felicissime consummetur in ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, Ephef. II. quod ille concedat, qui est Deus pius et misericors, gloriosus et sublimis, in secula seculorum amen.